OPVSCVLVM

DE SENA,

PLANTA INTER OMNES, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſſima & ſaluberrima.

AVTORE ANTONIO MIZALDO
MONLVCIANO, MEDICO.



LVTETIÆ,
Apud Federicum Morellum Regium Typographum, in vico Bellouacenſi.
M. D. LXXIIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIA ſanctione cautum eſt, ne alius quiſpiam pręter Federicum Morellum, Regium Lutetiæ Typographum, *hoc Opuſculum de Sena, planta inter omnes, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſsima & ſaluberrima*, Autore ANTONIO MIZALDO *Monluciano, medico*, intra quinquennium abſque manifeſto eiuſdem Mizaldi conſenſu, ſub Regis ditione imprimat, aut vendat. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata mulctabitur. Conceſſum fuit Priuilegium Lutetiæ Pariſiorum die quinta Octobris, 1570.

Per Regem in Conſilio,

DENYS.





SPECTATÆ VIRTVTIS & eruditionis viro, IOANNI LE CHARRON, Lutetiæ in Curia Vectigalium Præsidi, & Parisiensium Mercatorum Præfecto, ANTONIVS MIZALDVS medicus, S D.

PRÆCLARA *& memorabilis illa de Quintio Cincinnato Historia, cui, vt scribit Plinius, quatuor sua iugera in Vaticano aranti (quæ erant, Columella teste, auitum eius herediolum) Viator, nihil tale expectanti, Dictaturam attulit,*

& trepida ante boues, vt canit Perſius, Dictatorem *induit vxor: illa, inquam, hiſtoria, mihi ob oculos ponit,* Præſes *ſpectatiſsime, nuper tibi oblatam & adlatam* Pariſienſium Mercatorum, *ut vocant,* Præfecturam, *qui ſummus eſt ciuium & populi magiſtratus.* Nam *cùm tu nihil tale expectares, potioribus ciuium & minorum vrbis magiſtratum ſententiis & ſuffragiis, ad id faſtigij ſelectus & uocatus es: aſſentiente & ſuffragia probante* Chriſtianiſsimo Rege CAROLO, *cui placuiſſe, non ultima laus eſt.* Quod *factum, ſimul ac fama mihi nunciauit, ſtatim animum meum tanta inuaſit lætitia, vt prorſus dubitarem cui nam gratulari deberem: tibíne, cui tam inſignis dignitas contigerit, an vrbi quæ talem habitura ſit* Præfectum, *an* Regi, *qui tantum ſuis ciuibus &* Pariſienſi *populo*

præfecerit Neſtorem, *an potius mihi qui tibi ſum amiciſsimus, & ob id fortunarum tuarum particeps fieri debeo? ſi quidem uera ſunt quæ* Pythagorici *tradunt*, πάντα φίλων κοινά: καὶ, φίλον ἕτερον αὐτὸν εἶναι. *Si quid, mihi crede, in rebus meis eſſet unione uel candidius, uel preciosius, ego hac nota libentiſsimè ſignarem eum diem, in quo non lubrico exoculatæ* Deæ *fauore, ſed tribuum, & optimatum* Vrbis, *concordi calculo, gratóque* Principis *aſſenſu, eo magiſtratu, bonis, ut dicunt, auibus inauguratus es. Quod fœlix fauſtúmque ſit precor & opto.* Non *etenim ignoras quanto cum onere, nedum honore, illa prouincia, hoc præſertim tempore, tibi obeunda ſit.* Verùm *enimuerò, qua es modeſtia, uirtute & prudentia, quam nactus es Spartam, circumſpectè, &* Dei Opt. Max. *præſidio, inculpatè, reges &*

adornabis. Quod reliquum eſt, ut nouo aliquo munuſculo, nouum hunc magiſtratum tibi gratularer, uiſum fuit, ceu palàm teſtato animi mei gaudio, in tuo nomine publicare, & tibi officioſè deuouere Opuſculum hoc de SENA, *planta inter omnes, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſsima & ſaluberrima: ut quod medicorum eſt promittant medici, & tractent fabrilia fabri. Quale quale eſt Opuſculum, de eo dicere haud quaquam dubitem quod de philoſophiæ ſtudio ſcripſit* Horatius,

Æquè pauperibus prodeſt, locúpletibus æquè:
Æquè neglectum, pueris, ſenibuſque nocebit.

Illud itaque placidè, pro tuo candore, excipere, & in μνημόσυνον meæ erga te non uulgaris & ueteris amicitiæ habere dignaberis. Quod factũ ſi intellexero, non ſolùm conatus meos ad meliora promouebis, ſed & me ipſum tibi deditiſsi-

mum ſemper habebis. Verùm hæc ſatis, præſertim apud eum cui Populi commiſsi, & magna negocia curæ. Fœliciter itaque vale, Præſes æquiſsime, & Præfecte vigilantiſsime, in eo qui omnium valetudinem & ſalutem in manu habet: cuius immenſa bonitas, & te, & eximium ſocerum tuum in regiarum rationum collegio, vel, ut loquuntur, Computorum Camera Magiſtrum, mihi ſemper & vnicè colendum, diu Reipub. incolumes cuſtodire dignetur. Lutetiæ, Calendis Septembr. Anno CHRISTI, 1572.

IOANNIS DECVLLANT MON-
LVCIANI, IN SENATV PARISIENSI
Aduocati, Ode dicωlos tetraſtrophos ad
Ant. Mizaldum cognatum chariſs.

Næ, MIZALDE, *vides quòd celeres citò*
Anni diffugiunt, atque dies boni:
Noſcis quid valeat ſudor, & ocium
Quàm ſit triſte malum nimis.

Præclarè ergo facis dum vegetum viget
Iam nunc ingenium, & firmus adeſt calor,
Scriptis velle tuis noſcere poſteros,
Te vixiſſe nepotibus.

Debent multa tibi docta μαθήματα,
Debent ἰατρικῆς *ſcita ſalubria,*
Nam cunctis aperis quæ precioſa ſunt
In his, ingenuè, artibus.

Non ingrata ferent ſæcula gratiam
Poſthac: & *Dominus qui colit vnicè*
Doctos, atque bonos, ne dubita, tibi
Mercedem dabit optimam.

ἐκ πόνου τὸ κλέος.



D E S E N A, P L A N T A *inter omneis, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſsima & ſaluberrima,* O*puſculum,* A*utore* A N T O N I O M I Z A L D O M*onluciano, medico.*



VIA nullum hodie purgans medicamentum ſimplex tam frequens habetur in ore & opere, non dicam vniuerſo medicorum ordini, ſed etiam omni ferè populo, quàm Se- *Nullum medicamẽtum*
na: idcirco precium operæ factu- *Sena popularius.*
rum me putaui, ſi illius hiſtoriam, vſum, facultates & præſtantiſſima

auxilia à Græcis medicis, Arabibus & Latinis fideliter accepta, & hactenus magno mortalium commodo probata, hîc, pro mea tenuitate, paucis perstringerem. In eorum maximè gratiam, qui vel medicinæ non sunt initiati, vel aliis studiis & occupationibus ita sunt distracti, vt medicorum libros eis legere non liceat. Venio itaque à verbis in rem.

Quibus scribatur hoc Opusculũ.

Quibus nominibus uocetur Sena apud uarias gentes. CAPVT I.

PLANTA, Græcorum medicis iunioribus (nam antiquiores eam ignorarunt) σένα, vt etiam Latinis nuncupata, vel, vt Hermolao placet, Senna, Gallis Sené, Germanis Senet, Hispanis Sen d'Alexan-

Senæ varia & gentilia nomina.

dria, & Italis Sena, Aphricanis, Arabibus, ac Mauritanis medicis, Sene, Persis, teste Damasceno Mesue, Abalzemer, patrio vocatur nomine.

Senæ descriptio, pictura & deliniatio.
CAPVT II.

SENA herba est foliis constans glycyrrizæ, subpinguibus & crassis, caule cubitali, à quo flexiles lori modo exeunt ramuli, flores illi adsunt aurei, veluti brassicæ, purpureis venulis intercursãtibus: quibus falcati succedunt folliculi, tenui pediculo è ramulis pendentes: adeóque naturâ compressi, vt inferior membrana superiori adhæreat. Maturescentes, impetu ventorum facilè deturbãtur, contento intus semine quod ex nigro

Senæ deliniatio ex And. Matthiolo, in 70 cap. 3 libr. Dioscoridis.

ſubuireſcit & vuarũ vinaceis vſque adeò ſimile habetur, vt non facilè alterum ab altero, prima oculorum obſeruatione diſtingui poſſit. Serapio Arabs medicus, lunatas ſiliquas & oblongas illi aſcribit: in quibus ſemina per ordinem digeſta clauduntur, & ab opilionibus, impinguandis ouibus, vbi deciderunt, diligenter leguntur. Planta hæc frigoris ſummè eſt impatiens, vnde Maio menſe debet ſeri: nec vltra Autumnum viget. Priùs ſata facilè perit, ſeriùs, hyemem non ſuſtinet.

Serapio in libro de ſimplic. medicamentis.

Senam non eſſe eãdem cum Colutea, & de vtriuſque diſcrimine & pictura.

CAPVT III.

FALLVNTVR qui arborem eam quam Theophraſtus Coluteam appellat, Senã eſſe ob id ar-

Libro 3 cap. 17 de plantarum hiſtoria.

bitrantur, quòd folliculos habeat ſaginādis ouibus à paſtoribus ſummè expetitos, vt de lunatis ſiliquis Senæ, paulò antè ſcripſiſſe diximus Serapionem: Verùm id diſcriminis inter vtramque intercedit, quòd Colutea vocata, arbor ſit & non herba. Cuius deſcriptionem, qualem ex ipſa arbore mihi licuit in quodam horto amœniſſimo excipere, hîc proponere non grauabor. Itaque, Colutea arbor eſt, in hoc Pariſienſi agro, vt etiam in aliis frequens: De cuius ſtipite prodeunt rami quamplurimi, ſurculos admodum tenues ac flexiles hinc inde ſpargentes, è quibus exeunt folia, fœno græco, vel glycyrrhizæ non multum diſſimilia, æquali vtrinque ſerie, & numero (vbique ferè vndenario) perbellè *Coluteæ deliniatio ad vngnem expreſſa.*

discreta, sed sub autumnum flauescentia, leuíque ventorum agitatu, vel aliter, cum suis surculis cadiua. Ex eorum alis, maximè ad ramorum cacumina, suo tempore emergunt virgulæ quædam, agnata dicas, foliis vbique viduæ: quæ summa & extrema sui parte, flauos & aureos diffundunt flores: singulos alicubi, binos alibi, ternos, quaternos, & quinos, vel plurimùm senos glomeratim. Qui, genistæ modo, in falculæ vineaticæ & lunulæ, aut scirpiculæ formam paulatim desinẽtes, totidem vesicularum, quot illi fuerunt, rudimenta exprimunt. Quæ quidem vesiculæ, ex pediculo admodum fragili, sigillatim pendulæ, in ventrem & carinatũ gibbum pedetentim excrescunt: viridi primùm & herba-

Flores Coluteæ, & ex ijs folliculi, & vesiculæ.

ceo colore, tum demum ſubrubeſcente & rufo. In ijs pars carinata, gibba & conuexa, neruo, ceu ſepto quodam oblongo, & veluti diaphragmate, in duas parteis dirimitur, æquè ac ſima & concaua: re vera peram paſtoralem, vel piſcatoriam nauiculã eſſe dicas, ſeſe hinc inde proferentibus à cauda & capite, ceu à prora & puppi, quibuſdam appendiculis, quæ ligamentorum vicem ac modulum præ ſe ferunt. Dictæ veſiculæ, vel, ſi mauis, vtriculi & folliculi creſcentes, vſque adeò diſtenduntur & pellucent, vt immiſſo flatu, quis factum fuiſſe non temerè ſibi perſuadeat: Cùm tamen natura, non arte id fieri certò conſtet, ſpiritúmque diſtendentem ibi ineſſe palàm arguat crepitus erumpens

Vnde diſtendantur colutea folliculi.

vbi pedibus vel manibus, aut aliter, instar vesicularum in piscibus premuntur. Mēbranei huiusmodi folliculi tādem flaccescunt, semina includentes ad rectam lineam miro ordine vtrinque digesta, parua, & vbi maturuerint, atra ac rotunda, lẽtis effigie. Sed in Coluteæ pictura & descriptione versatum satis.

Capite præcedente. Quod ad plantam Senæ attinet, non habeo quod in pręsentiarum de illius historia & deliniatione aliud proferam, quàm quod paulò antè ex Andrea Matthiolo dictum fuit. Nam hactenus viuam & in sua radice vigentem herbam videre mihi non licuit. Vt vt fuerit, in eo discrepat Sena à Colutea, quòd pressis & lunatis, sic satis, folliculis siliquetur, qui nec turgēt nec distenduntur ac pellucent, vt

in

in Colutea: & ſemen, vt ſcripſimus, *In quo differat Sena à Colutea.*
includunt, vuarum vinaceis & granulis ſane quàm ſimile. Quibus addes, quòd Sena paucorum menſium eſt herba: Colutea verò multorum annorum arbor, ſemine & ouillo fimo præcipuè naſcens, vt tradit Theophraſtus: Quo etiam autore, ſeri debet ſub Arcturi occaſum præmacerato ſemine, & cùm in aqua pullulare cœperit. Cæterùm & ſi Colutea Alexandri Magni ætate non temerè alibi quàm in Lipara naſcebatur, iam diu tamen in Gallia multis vt diximus locis viget, ac nomine *Baguenaudier* omnibus innoteſcit. Errant itaque, meo iudicio, qui ei facultates omnes innoxiè tribuũt, *Facultates Senæ non conuenire Coluteæ.*
quas vna Sena ſibi peculariter vendicat. Nam præter quàm quòd

vomitiones, non ſecus quàm geniſtæ ſemen, promouet: Colutea, etiam ventriculo ſummum negocium faceſſit, & tormina multa excitat: necnon flatus & inteſtinorum rugitus: Quorum omnium expers eſt Sena, vt paulò pòſt oſtẽdemus.

Quibus partibus ſuæ plãtæ ſit præſtantior, efficacior, & purgantior Sena.

CAPVT IIII.

SCRIBIT Ioannes Meſues Damaſcenus, in Arabicorũ medicorum collegio ſummus & celebris, Senam folliculo quàm foliis efficaciorem eſſe, præſertim ſi is ex viridi nigricet, ſit modicè amarus, abſolutus, ſubaſtringẽs, recẽs, & ſemen continẽs amplum ac preſſum, nam

Lib. 2. de medicam. ſimpl. purgantibus, cap. 15.

nam vetustate exanimatur. Qui subalbidus est folliculus & imperfectus, non probatur: folia viridia sunt præstãtiora subalbidis, & crassa tenuibus, surculi verò inutiles. Hactenus Mesues. Qui, vt audiuisti, Senæ folliculos in deiiciẽda aluo, folijs longè efficaciores ac præstãtiores facit: reclamante, non dicam Manardo Ferrariẽsi, sed etiam diuturna & assidua medicorum experientia: etsi Brasauolus, qui Mesuem tueri videtur, contrarium sentiat. Actuarius siliquoso fructu, à Barbaris vocato, vti videtur. Andreas Matthiolus suis in Dioscoridem doctissimis Commentariis, hanc controuersiã, sanequàm rectè, mea sententia, ad hunc modum componere satagit: Sciendum, inquit, quòd Senæ folliculi

Senæ folliculi & folia.

Libro tertio cap. 70

qui ſiccati aſſeruantur, duorum ſunt generum. Vnum per ſe caducum, & in ſua planta arefactum, à quo ſemen eximunt nigrum & prorſus euanidum: Huic nullas, vel ſaltem paruas facultates tribuunt. Alterum, ante maturitatem demetitur, craſſum, ponderoſum & ſucco prægnans: Quod tegetibus expāſum, in vmbra venundandum exſiccatur. Huic, inquit Matthiolus, ſicuti millies periculum fecimus, non minor vis deiectoria ineſt, quàm foliis. De eo itaque ſenſiſſe videtur Meſues. Cui de experimento ſubſcribit idem Matthiolus, affirmās ſe aliquando integrum Senæ campum ſeuiſſe (quales in Hetruria, & præſertim in Florentino agro quamplurimi viſuntur) vt illius folliculos vi-

Senæ folliculis duorum generum.

Experimētum Matthioli de ſenæ folliculis & foliis.

rentes & ſucci plenos decerperet: mox ſiccatos experiretur: num eadem vis eis ineſſet quàm foliis: quod tandem ita eſſe facilè agnouit. Qui itaque folliculis commodè & ſalubriter vti voluerint, Matthioli exemplo, Senam ſerant vt illos & optimos, & recentes in manu habeant, vel ſaltem probatiſſimos emant, ſi tamen eiuſmodi reperiri poterunt: ſi minùs, foliis vtantur ſelectis, vt paſſim fieri ſolet. Nam hodie nullum ferè præſcribitur repurgans medicamentum, quod illorum miſturam non admittat. Non temerè itaque Manardus Senæ folia, folliculis caducis & arefactis purgantiora eſſe ſuſtinuit. Ioannes Fernelius in omni parte medicinæ, citra controuerſiam, ſummus, Meſuem & Arabes

Folia ſenæ in vſu frequenti hodie eſſe.

Cap. 10. lib. 5. Meth. med.

ſequutus, Senæ folliculos foliis anteponit. Cui Iacobus Syluius ſanequàm libenter ſubſcribit: vtcũque fuerit, nam vnguem non verterim, qui folliculis vti volet, quales antè ſcriptum fuit ſibi comparet: cui verò folia magis arridebũt, recentia & ampla ſeligat, à quiſquiliis, paleaceis ſordibus, & ſurculis, quibus ſcatet diligenter repurgata: in quo Pharmacopœi plærique oſcitanter, ne dicam turpiter, peccare mihi videntur, dum indiſcriminatim omnia, vel coquendo, vel macerando confundunt.

Comment. in cap. 15. lib. 2. de med. ſimpl. Meſuæ.

Pharmacopœorũ quorumdam error, vel potius negligentia.

Senæ bonitas, electio & præſtantia.

CAPVT V.

QVOD attinet ad bonitatem & excellentiam Senæ, ea præſtare fertur quæ ex Alexandria Æ-

gypti, vel Syria adfertur. Hanc enim summis laudibus tam Latini quàm Græci medici iuniores efferunt. Iacobus Syluius, Indicam & Ægyptiam valentiorem esse scribit parte media quàm sit Appula & Ligustica: & rursus postremam nostrate Colutea: quæ, vt diximus, falsò & perperàm pro legitima Sena à multis vsurpatur. Vtra verò præstantiora sint, folia an folliculi, paulò antè disputatum est. *Syluius loco paulò antè citato.*

Quo pondere & modo exhibeatur Sena, Arabibus, Græcis, ac Latinis Medicis. CAPVT VI.

SERAPIO Senæ tritæ ceu pulueratæ drachmam vnam, coctæ verò semunciam, vel drachmas quinque imperat. Mesues infun- *In lib. de simpl. medicamentis.*

dit ab aureis tribus, hoc eſt, à ſemũcia, vel drachmis quatuor cum ſemiſſe, ad vnciam vnam. Ex Græcis vnus Actuarius, pulueris exhibet drachmam vnam: in decocto verò ſemunciam. Ioannes Fernelius dat pulueris ad drachmas duas, decocti à drachmis tribus ad drachmas ſex: diluti verò ab vncia dimidia, ad vnciam vnam. Quæ omnia ad ſumentium naturam, & medicandorum vires, ætatem, corporis habitum, ſexum, & alios ſcopos, prudenter ſunt referenda & coaptanda.

Libro & cap. anteà notatis.

Facultates & probata Senæ præſidia, ex Græcis medicis. CAPVT VIII.

ACTVARIVS, qui ſolus inter Græcos medicos, quantum

tum extat, Senæ vires deſcripſit, memoriæ mãdauit illam & bilem, & pituitam, denarii ponduſculo deiicere, abſque vlla corporis & facultatum eius noxa & moleſtia: Secundùm hos humores, retorridam, atrámque bilem, etiam modeſtiſſimè purgat, & illarum ſuffuſiones ex gallinaceo iure clementer expellit. Inſuper vetuſto capitis dolori, ſcabiei, comitialibus, & impetigini ſuccurrit, ſed modicè feruefactæ Senæ iuſculum, potius quàm tritæ farina propinatur: internas etiam obſtructiones reſerat.

Quibus morbis ſuccurrat Sena, ex Actuario medico græco.

Facultates & auxilia Senæ, ex Arabibus medicis. CAPVT IX.

IOANNES Meſues Damaſcenus, de Senæ facultatibus & prȩſidiis ad hunc ſcribit modum.

Libro 2. purgantium medicamentotorum ſimplicium, cap. 15

Sena terget, expurgat & digerit: ob id melãcholiam & bilem vstã à cerebro, ſenſoriis organis, pulmone, corde, hepate & liene deiicit. Proin de morbis dictarũ partium ab humore huiuſmodi proficiſcentibus ſuccurrit, vt melancholicis febribus & antiquis. Gaudium gignit, ſublato humore abſque cauſa externa triſtante, & floridum corpus efficit, obſtructionéſque viſcerum aperit. Decoctum foliorum eius & chamęmeli, neruos ac cerebrum lotione roborat. Eadem quoque Sena, modo quouis vſurpata, viſum & auditum firmat. Cuius purgatio ſi tarda fuerit & imbecilla, miſtis acribus celerabitur: vt Zinzibere, ſale gẽmeo, ſale Indo, & ſimilibus. Ne verò ſtomachum lædat, cardiaca & ſtomachica ei ſunt

Quonam modo inuetur & acceleretur ſenæ purgatio.

miſcenda, & largo pondere ex iure galli, gallinæ, vel aliarum carnium coquenda, vt citra moleſtiam purget: vel ſerò lactis infundetur cum ſpica, deinde parum diu feruebit. aut puluis foliorum eius ex lacte dulci ſumetur. Sunt qui decocto eius cum prunis, & ſpica fœliciter purgent. Cæterùm mediocrem ſuſtinet coctionem. Hactenus Meſues.

Quibus miſceri gaudeat Sena.

SERAPIO Arabum Medicus, hæc, de facultatibus Senæ, poſteritatis memoriæ reliquit. Sena mirificè prodeſt delirio, amentiæ, ſciſſuris totius corporis, reſolutioni neruorum, phthiriaſi, cephalalgiæ, ſcabiei, puſtulis, pruritui & epilepſiæ. Cor etiam roborat modò iis cõmiſceatur medicamé-

In lib. ſimplicium medicament.

tis, quæ ipſum maximè confirmãt.

Quibus ſuccurrat morbis Sena, & quæ præſtet auxilia hominibus, ex Latinis medicis. CAPVT X.

Libro & loco priùs citato.

IOANNES Fernelius Senam & eius auxilia his commendat verbis: Sena melãcholiam retorridam, nec non bilem, & craſſam pituitam commodiſſimè purgat: non ſtatim è diſtantioribus locis, ſed pręcipuè è liene, deinde etiam ex aliis viſceribus, ex hypochondrijs & meſẽterio: in quibus eſt omnis eluuiej ſentina. Ex ijs enim ſedibus vix aliud quidquam æquè validè corruptos humores prolicit, aut obduratos tumores euacuat, aut in tenues venas ſubiens, veteres earum obſtructiones expedit: neque tamen vicinas hydropicorum aquas

Quas corporis partes maximè repurget Sena.

detrahere poteſt. Diuturnorum atque lentorum morborum, quos viſcerum impuritas, aut vetus obſtructio genuit, ſingulare eſt pręſidium: vt lentarum, veterúmque febrium, melãcholiæ, epilepſiæ, ſcabiej, impetiginis, vitiliginis, elephã tiaſis, & omnis denique impuritatis. Senſus pariter exacuit, cor exhilarat, torſionibus ſæpè moleſta: non quòd flatulẽta ſit, ſed quòd firmiter hærẽtes humores, & plerunque acres, nequeãt ſine ſenſu doloris auelli. Nunquã tamen deprehẽſum eſt, vel inteſtina corradere, vel ſanguinem proritare: blandè alioqui, ſed tamen lentè purgans: nulla qualitate infenſa, niſi quòd ventriculo aliquantùm grauis: pueris, ac ſenibus vtilis, neque pręgnantibus aduerſa. Permiſcenda ei ſunt quę

Mira Senæ præſidia.

Senam flatulentam non eſſe.

Senam prægnantibus non eſſe aduerſam.

Quænam misceri senæ conueniat. ventriculum roborent, ſimúlque tardiorem vim extimulent: cuiuſmodi ſunt Zingiber, cinnamomum, aut ſpica: & quæ leniendo, ſine torſionibus, facilè deducant. Qualia ſunt iura pinguia, pruna, iuiubę, vuę paſſæ, viola, althea, polypodium: & qui ex his fiũt ſyrupi.

Comment. in cap. 15, libr. 2. Ioan. Meſuæ. IACOBVS Syluius de Senæ auxiliis in hunc ſcribit modum: Sena folliculis latis, ſed falcatis, & in his ſemine, vtilior purgando humori melancholico & morbis ab eo pendentibus & prodeuntibus. Multis torminoſa eſt, alijs clemẽs, pro varia ſumentium natura. Tutiùs tamen eſt maſtiche, vel caryophyllis, & alio (vt cinnamomo, ſemine aniſi) corrigere: folijs non eſt inefficax. Veteribus omnino

indicta est planta.

MANARDVS Ferrariensis se expertum dicit, Senam preter iam dicta, & contra Auerrhois sententiam, pituitam etiam purgare: ex Actuarij Græci medici, vt antea monuimus, opinione & experimento. Ad hec, valere aduersus luem Hispanicam: Aquas etiam purgare sepenumero visa est. *Senam valere aduersus luem hispanicam.*

ANDREAS Matthiolus Dioscoridis interpres ad vnguem factus, de Sena hæc ex multis tradit: E nostrate Sena, inquit, adhuc in agro virēte, & rosarum diluto, ego quotannis syrupum parare cōsueui, qui tutò & largè omnes purgat humores. Datúrque cōmodè pregnantibus, ac pueris, & cuiuscunque ætatis hominibus. Dilutum *Comment. in cap. 70 libri 3.*

Dilutum Senæ præſtare eiusdecocto.

tamen magis pręſtat, quàm decoctum: quia nulla ex parte exhalat. Cuius vnciæ quinque, vel ſex, aluum abſque moleſtia ſoluunt. Quòd tutò dari poſſit pręgnantibus & pueris, experientia docuit: cui ſuffragatur Actuarius, Senam citra noxam purgare tradens.

Quenamad denda vt aluum valentius deiiciat Sena.

Redditur medicamẽtum hoc in deiicienda aluo pręſtantius atque valentius, ſi caſſia nigra, aut manna, aut rhabarbaro, aut roſarum diluto, aut rhodopharmaco, quod officinę ſyrupum roſatum ſolutiuum vocant, commiſceatur: aut ſi maceretur Sena caprino ſero. Viſcerum obſtructiones aperit, auget iuuentutem, ſenium retardat, animi hilaritatem adfert: & plęraque alia commoda pręſtat: de quibus anteà.

Com-

Compositio præstantissimi diluti è Sena, eodem Andr. Matthiolo *præscribente.* CAPVT XI.

SVMANTVR foliorum electissimę Senæ drachmę sex: Zinziberis, aut cinnamomi cõtriti, drachma vna: florum buglossi, drachmę duę: misceantur omnia, & fictili vitreato, aut stanneo vase angusti orificij excipiantur: affusísque feruentis aquæ, vel seri caprini, vnciis decem, vasis osculum adeò occludatur, vt nullus omnino spirandi pateat exitus. His peractis, puluinari plumis anserinis farcto, igníque calefacto vas inuoluatur, & in arca vbi pernoctet, reponatur. Sic enim calore seruato, omnem in se facultatem dilutum recipiet, & summè

Efficacissimum dilutũ è Sena, & eius compositio.

E

efficax habebitur ad omnes paulò antè memoratos affectus, absque vlla molestia, & corporis noxa.

Vinum è Sena medicatum, ex Ioanne Mesue. CAPVT XII.

Lib. 2. cap 15.

VINO musteo albo, inquit Mesues, miscebat quidā vim magnā Senę, post tres menses potandum dabat: sicque purgabat cerebrum & sensoria organa, nec non gaudium augebat, ac lætitiam.

Si quis alias formas cōponendi huiusce vini medicati, & aliorum item quorumcūque scire cupit, legat quæ haud ita pridē à nobis scripta sunt, in Opusculo de variis artificiis & facili methodo cōponendorum olerum, radicum, fructuum, vuarum & vinorum, quę diuersis morbis

Reperitur Lutetiæ apud Federicum Morellum Typographum Regium.

morbis iucũdè,& abſque vlla noxa clementer ſuccurrant: illic inueniet quod didiciſſe iuuet.

Hæc ſunt quæ in præſentiarũ de Senæ viribus & prẹſtãtia ſcribere viſum fuit. Cuius πολυχρήστατα auxilia qui attentè obſeruabit, illam, reuerà, non ampliùs Senam, ſed Sanam herbã κατὰ μετωνυμίαν, καὶ συνεκδοχικῶς perappoſitè nũcupabit. Fruere, Lector optime, & propicio cæleſti illo Æſculapio (ſine quo eſt omnis medicina venenum) fœliciter vtere: vt ſano, è Sena, ſit mens in corpore ſana.

FINIS.

LECTORI ARCANORVM NATVRAE STVDIOSO S.

ADMONITVS à Typographo paginas aliquot nudas, & albas, vt vocant, sub finem Opusculi nostri superesse, precium operæ facturum me existimaui, si scripto aliquo insigni eas vestirem et replerem. Illud cùm diu multúmque disquisiuissem, ecce, peropportunè inter chartulas meas sese obtulit Procli Platonici philosophi Narratiuncula, cùm vetustate, tum eruditione adprimè commendabilis. Huius itaque fragmentũ, vel potius paraphrasticam Epitomen è Græco hîc pro coronide, tibi assuere visum fuit.




VEMADMODVM Amatores, inquit Proclus, à formositate quæ circa sensum versatur, paulatim ad diuinam pulchritudinem transiuerunt: ita prisci arcanorum Naturæ perscrutatores dum rerum naturaliũ quandam συμπάθειαν, cognationẽ & amicitiam aliorum ad alia & manifestorum ad vires occultas animaduerterunt, & omnia in omnibus esse cognouerunt, sacram inter eos & arcanam scientiam condiderunt, scientes in infimis suprema latère, & in supremis infima. In cœlo quidem terrena, sed modo cœlesti: & in tellure cœlestia, sed modo terreno. Nam vnde arbitramur plantas illas quas Solisequas vocãt, pro Solis motu ad Solem conuerti ac moueri & Lunisequas, ad Lunam, nisi quòd illæ velut precantes, hymnos concin-

nunt ad ordinis ſui duces? Sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia ſenſibili id agunt. Ex quo fit vt Soliſequa planta, quomodocunque poteſt ad Solem moueatur: Cuius pulſationem circuitu in aëre factam ſi quis audire poſſet, procul dubiò harmoniam quandam erga ſuum regem ex ea in illum conuerſione modulatam obſeruaret, qualem planta ipſa poteſt perficere. Quamobrem licet in terra, & Solem & Lunam aſpicere, ſed pro terrena qualitate & modulo. Ad hæc in cœlo plantas, lapides & animalia pro cœleſti natura vitam intellectualem habentia. Quod vnum veteres contemplati, aliis cœleſtium, aliis terrenorum naturam appoſitè tribuerunt: & hinc diuinas virtutes ob quandam ſimilitudinem in locum terræ, & res illius non ineptè deduxerunt. Quid de Loto dicam? qui antè Solis exortum folia in ſe complicat, & eodem oriente illa met paulatim explicat, donec ad mediam cœli plagam aſcenderit, quo tempore illa prorſus pandit & aperit? Quaten⁹ verò à ſummo cœlo imum petit, ſenſim eadem contrahit. Qua vna foliorũ dilatatione & contractione, numquid videtur Solem non minus honorare, quàm homines genarũ geſtu, ac labiorum motu & agitatione? Nec in plantis ſolùm quæ veſtigium habent vitæ, ſed etiam in lapidibus eam imitationem & participationem ſuperiorum luminũ aſpicere licet ac demirari. Nam Helites lapis ſolares radios, aureis ſuis radiolis imitatur: & Selenites figura lunæ cornicularis ſimilis, quadam ſui mutatione lunarem ſequitur

motum. Sic Helioſelenus quodammodo Solis & Lunæ cōgreſſum æmulatur & colore figurat. Adeò diuinorum plena ſunt omnia, terrena cœleſtium, cœleſtia verò ſupercœleſtium: proceditque quilibet ordo rerū, vſque ad vltimum. Sunt & animalia plæraque ſolaria, veluti Leones & Galli, numinis cuiuſdam ſolaris, pro ſua natura participes, vnde mirū, eſt quantùm inferiora in eodem ordine ſuperioribus cedant: quanuis magnitudine & potentia illis nihil concedāt. Hinc ferunt Gallum à Leone quamplurimum timeri, & quaſi coli. Cuius rei cauſam à materia aut ſenſu aſſignare non poſſumus, quin potiùs ab ordinis contemplatione & principatu: quòd ſolare numen Gallo magis faueat ac cōueniat quàm Leoni. vnde ille ſurgenti Soli, cantu, ceu hymnis quibuſdam, applaudit, eúmque, dum ex Antipodum medio cœlo ad nos deflectit, quaſi euocat & cātando feſtinare inuitat. Addo quòd ſolares dæmones nonnunquam viſi ſunt leonina fronte ac facie: Quibus cùm Gallus obiiceretur, repentè diſparuerunt: quòd ſanè inde procedit, quia quæ in eodem ordine ſunt inferiora, ſuperiora ſemper reuerentur, illáque reformidant non ſecus quàm multi de infima plebe, qui quoties ſummorum & diuinorum virorum, non dicam faciem, ſed imagines aut ſtatuas intuentur, non ſolū eas reuereri ſolent, ſed etiam formidare ne illis præſentibus aliquid turpe committant. Hactenus Proclus.



LIBRI LATINI AB ANTONIO Mizaldo Monluciano, Medico & Mathematico, hactenus editi, & publicæ vtilitati expositi, anno, loco, & typographo eorundem expressis.



PHAENOMENA, *siue temporum signa, Lutetiæ impressa, Apud* Reginaldum *Calderium, anno* 1546.

Meteorologia, siue rerum aëriarum Cōmentariolus, Lutetiæ apud eundem, & anno eodem.

Cometographia, crinitarum stellarum naturam & portenta libris duobus proponens, Lutetiæ apud Christianum Vuechelum, 1549.

Aesculapii & Vraniæ medicum & astronomicum ex congressu colloquium, Lugduni apud Ioannem Tornæsium, 1550.

Planetologia, *astronomicè & medicè demonstrata, Lugduni apud* Matthiam Bonhomme, 1551.

Mundi sphæra, seu Cosmographia, tribus libellis proposita, Lutetiæ apud Guil. Cauellat, 1552.

Zodiacus, siue duodecim signorum cœli Hortulus, *Lutetiæ apud* Carolam Guillard, 1553.

Planetæ, *seu* Planetarum *Collegium cœleste, Lutetiæ ibidem & anno eodem.*

Asterismi, siue stellatarum octaui orbis imaginum Officina,

F

cum Encomio docti Astronomi rerum cœli interpretis, ibidem & anno eodem.

Catalogi *Sympathiæ & Antipathiæ rerum aliquot memorabilium, Lutetiæ apud* Iac. Keruer, 1554.

Ephemerides aëris perpetuæ, seu popularis & rustica tempestatum Astrologia, Lutetiæ apud eundem, & anno eodem.

Arcanorum naturæ syluula, Lutetiæ, & apud eundem, 1555.

Harmonia cœlestium corporum & humanorum astronomicè & medicè demonstrata, apud eundem & anno eodem.

Ephemeris cœlestis, anni 1555, *præter modum vulgarem noua methodo scripta & supputata, apud eundē, & anno eodem.*

Vsus & explicatio Ephemeridum *cœlestium, anno eodem & apud eundem.*

Symbolum funebre in obitum Orontij Finæi Regij *Mathematici, cum eiusdem vita & tumulo, Lutetiæ apud* Aegidium *Gourbin,* 1555.

Ephemeris cœlestis anni 1556, *Lutetiæ apud* Iacobum Keruer, 1556.

Ephemeris cœlestis, anni 1557, *ibidem, anno eodem, & apud eundem.*

De *arcanis naturæ libelli quatuor pulcherrimi, Lutetiæ apud eundem,* 1558.

In cædem sanequàm atrocem & acerbam Antonij Minardi, *in senatu* Parisiensi Præsidis *inculpatissimi Nænia, Lutetiæ, apud* Federicum Morellum, 1559.

Hortorum secreta, cura & auxilia, libris tribus pulcherrimis proposita, apud eundem, 1560.

De Hortensium arborum insitione, apud eundem, & anno eodem.

Paraclesis super morte Francisci Oliuarij Galliarum Cancellarij, Lutetiæ apud Benedictum Preuotium, 1560.

Alexikepus, seu Auxiliaris & medicus Hortus. Lutetiæ apud Federicum Morellum, 1564.

Methodus noua comparandorum fructuum, olerum, radicum plantarum, vuarum & aliorum quæ corpus clementer purgent, apud eundem, & anno eodem.

Diuersa artificia componendorum vinorum, quæ varijs morbis benigne auxilientur, vnà cum multorum catalogo & descriptione, apud eundem, & anno eodem.

Centuriæ nouem rerum memorabilium, vtilium & iucundarum, apud eundem, anno 1566.

Cosmologia, historiam superioris & inferioris mundi, à variis variè & obscurè traditam, quatuor pulcherrimis Opusculis dilucidè ac breuiter admodum proponens: apud eundem, 1569.

Opusculum de Sena, herba inter omnes, quotquot sunt, hominibus beneficentissima & saluberrima, apud eundem, anno 1572.

Dioclis Caristij medici ab Hippocrate fama & ætate secundi, aurea ad Antigonum regem Epistola è Græco latinè reddita, De morborum præsagijs, & eorumdem ex temporaneis remedijs paratu facillimis, apud eundem, & anno eodem.

Arnaldi à Villa-noua medici præstantissimi Consilium ad Arragonum Regem de salubri Hortensium vsu, apud eundem, & anno eodem.



LIVRES EN LANGVE FRANCOISE *du susdict* ANTOINE MIZAVLD, *Medecin & Mathematicien.*



E Miroir du temps & presages sur le changement d'iceluy, imprimé à Paris par Regnauld Chauldiere, l'an 1547.

Meteores, ou discours des choses qui sont faictes & engendrees aux trois regions de l'air, auec les causes: par le mesme Chauldiere, 1548.

Ephemerides de l'air, ou bien Astrologie rustique & perpetuelle sur les signes des mutations de temps. à Paris chez Iaques Keruer, 1554.

Celeste Ephemeride pour l'an 1555, chez le mesme Keruer, & audict an.

Explication, vsage & pratique des Ephemerides celestes, auec tables à ce necessaires, chez le mesme Keruer 1556.

Ephemeride celeste pour l'an 1556, chez le mesme Keruer, & audict an.

Ephemeride celeste pour l'an 1557, chez ledict Keruer, & audict an.

Singuliers Secrets & secours contre la Peste fort heureusement par plusieurs fois experimentez. Ils se trouuent à Paris chez Federic Morel, & furent imprimez l'an 1562.

Les Louanges, antiquitez, & excellences d'Aſtrologie, extraictes & traduictes du Grec de Lucian, & imprimees à Paris par Thomas Richard, 1563.

Nouuelle inuention pour incontinent iuger du naturel d'vn chacun par la ſeule inſpection du frõt & de ſes lineaments, à Paris chez Guillaume Chaudiere 1565.

Opuſcule des Secrets de la Lune, & du conſent & accord, lequel pluſieurs choſes de ce bas monde recognoiſſent, &, à veuë d'œil, ont commun auec ladicte Lune. à Paris chez Federic Morel imprimeur du Roy, 1570.

ANTONII MIZALDI MONLVciani, *Medici & Mathematici, Libri aliquot nondum in lucem editi, ſed poſthac ſigillatim edendi, ſi Deus & fortuna ſinat.*

QVadrupedum, & animalculorũ ruris & vrbis quorundam medica Hiſtoria, auxiliarium arcanorum & remediorum omnis generis fœcunda: ſummorúmque medicorum teſtimoniis, & variis eorumdem experimentis illuſtrata.

Sterilitatis annonæ, & eiuſdem caritatis, nec non ſtatus anni cuiuſuis Præſagia: de variis priſcorum & recentiorum obſeruationibus accuratè accepta & adnotata.

Præludium in ſymphoniam Medicinæ & Aſtronomiæ, ad Tyrones.

Lunæ & Oceani concordia, philoſophicè & aſtronomicè demonſtrata. Vbi æſtuum maris in affluxu & effluxu tempora cum cauſis dilucidè aperiuntur.

Methodica peſtis deſcriptio, & eiuſdem precautio ac ſalutaris curatio.

Mirabilium naturæ operum Cõmentarioli octo, occultarum & latentiũ proprietatum in ſympathiis & antipathiis, locupletiſſimi: de priſcorũ, & recentiorum philoſophorum, medicorum & aſtrologorum lectione, fide ſumma & pari diligentia concinnati.

Aſtrologica Problemata, rerum cœli ſtudioſis adprimè vtilia, & hactenus deſiderata.

Aphoriſmorum Hippocratis ſectiones ſeptem in to-

tidem classeis, iuxta communes medicinæ locos, accuratè digestæ, & adnotatiunculis non vulgaribus illustratæ.

Commentariolus in duos priores libros Apotelesmaton Claudii Ptolemæi, candidatis rerum cæli candidè impertiendus.

Iatromathematicæ, seu medicinæ & astrologiæ Harmonia, à tribus summis & antiquissimis viris, Mercurio Trismegisto, Hippocrate & Galeno, indicibili symphonia modulata.

Astrophania, illustriorum stellarum inerrantium exortus & occasus, statis mensium anni diebus, ad Gallicanum clima, & vicinarum regionum, fideliter proponens.

Methodicæ tabulæ & breues, in sex libros Claudii Galeni de differentiis & causis morborum & symptomatum.

Conciliatio medicorum & astrologorum in controuersia Lunæ, & calculi dierum decretoriorum in morbis. Vbi de hora decubitus, & critica figura ἑξκαιδεκαέδρου Ptolemæi, cum proprio eius instrumento.

Seleniatricum, hoc est medicum de Luna Opusculum: centum Lunaribus Aphorismis statum morborum & ægrotantium non obscurè indicans.

LIVRES FRANCOIS DVDICT ANTOINE MIZAVLD, *qui ne sont encores imprimez.*

POpulaire instruction pour trouuer en tous temps & lieux, sans aucun Almanach, vn chacun renouuellement & changement de Lune, auec exemples fort familiers & faciles.

Pour incontinent sçauoir, sans aide d'aucun liure, en quel Signe du Zodiaque sera la Lune vn chacun iour.

Cognoistre facilement par la Lune de Mars, le iour de la solennité du sainct Pasque, & Resurrection de IESVS-CHRIST: comm'aussi toutes les festes mobiles qui precedent & ensuiuent ledict Pasque. Et ce sans aucun Calendier, ou Almanach.

Table pour le mesme faict, calculee pour cinq cents & quatorze ans à venir: sçauoir est depuis 1570, iusques à 2084 Sans y auoir omis le nombre d'or, l'epacte, cycle solaire, & lettre dominicale, qui appartiendront à vn chacun des ans susdicts.

Discours de plusieurs remedes faciles à trouuer & composer contre les bubons, bosses & charbons des pestiferez: le tout experimenté par les denommez audict discours.

Rustiques & populaires discours de la Lune, sur plusieurs choses, lesquelles à l'œil se practiquent par le moien du rayon & corps lunaire.

